



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1460. usque ad annum 1478

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1768

VD18 90118332

§. 142. Alphonus a Castellanis exauctorato Regi subrogatus

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66459](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66459)

Sæcul. XV. A.C 1465. fine talia rescripsisse, ut Principes Christianos ad auxilia adversus Turcas ferenda literis, ac proprio suo exemplo incitaret; ipse enim quotannis centum aureorum millia Hungaris, totidemque Scanderbego subministrabat.

§. CXLII.

Alphonsus a Castellanis exauditorato Regi subrogatus.

*Marian hist.
Hispan. l. 23. c. 9
Papiens.
epist. 122.*

Interea Archiepiscopus Toletanus, qui rebellium Castellanorum partes sectabatur, Abulam contendit; ubi factiosi communi omnium consensu rem aggressi sunt æque ridiculam, ac temerariam. Quippe extra Abulæ mœnia in quodam patenti campo amplum exstruunt theatrum, pretiosis aulæis prætextum; demum throno ad id recens erecto imponunt Henrici Castellæ Regis statuam regali chlamyde vestitam, quæ dextera sceptrum, in capite coronam gestabat, ceterisque omnibus Regiæ Majestatis insignibus ornata erat. Huic nefando spectaculo aderant Regni Proceres, & innumera ferme confluentis populi frequentia. Tandem alta præconis voce sententia a rebellibus in Henricum legitimum eorum Regem lata proclamatur, & prolixius cunctæ ejusdem injustitiæ, violentiæ, ac crimina recensentur, quibus eorum

eorum iudicio Rex durante suo Regimi-^{Sæcul. XV.}
 ne sese obnoxium, ac coronæ indignum A.C. 1465.
 reddiderat. Ad singula quoque senten-
 tiæ capita, quæ a præcone ordine suo
 publicabantur, sensim statua omnibus
 regiis insignibus nudabatur, ac denique
 penitus spoliata inter plurimas verborum
 contumelias in præceps agebatur. In-
 digni hujus spectaculi funesta dies erat
 feria quarta, Junii quinta. Eo absoluto
 Alphonsus juvenis Castellæ Infans huic
 scænæ semper præsens, theatrum con-
 scendit, atque procerum latera ejus sti-
 pantium humeris sustentatus eidem, a
 quo Henrici fratris sui statua in terram de-
 jecta erat, folio imponitur, ac iisdem re-
 giis ornamentis indutus, Castellæ Rex
 salutatur. Tam atrox fuit hujus facino-
 ris petulantia, ut Procerum non pauci,
 abdicata rebellium factione, in obse-
 quium Regis sui redirent. Hos inter
 Garzias Toletanus Henrico in auxilium
 cum quingentis lanceariis, ac cum mille
 peditibus accurrit; ceteri vero rebellium
 principes, cum suorum numerum sensim
 imminui intelligerent, extremos adhi-
 bendos esse conatus decernunt, ut Re-
 gem caperent, ejusque nomine ac aucto-
 ritate pro libitu suo abuti possent, prout
 sub priori regimine Principes Arragoniæ
 fecissent.

§. CXLIII.